



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Disputatio XXV. De triplici scientia animæ Christi, quoad quæstionem an
est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Li 1. de cel. Iosaphus dicit in 1. de celo *) multo minus in anima Christi
 32 & 132. si aliquid fuit frustra. Frustra autem est, quod non habet pro-
 priam operationem, cum omnis res sit propter suam opera-
 tionem, ut dicitur in 2. de celo *. Propria autem operatio in-
 tellectus agentis, est facere species intelligibiles actu, abstra-
 hendo eas a phantasmatis: unde dicitur in 3. * de Anima,
 Li 3. de a- quod intellectus agens est, quo est omnia facere. Sicigitur ne-
 18. tom. 2. cesse est dicere, quod in Christo fuerint aliqua species intelli-
 gibiles, per actionem intellectus agentis in intellectu possibili
 eius recepta: quod est, esse in ipso scientiam acquisitam, quam
 quidam experimentalem nominant.

Et ideo, quamvis aliter alibi scripserim, * dicendum est,
 1. int. d. in Christo fuisse scientiam acquisitam, que proprie est scientia
 14 q. 3. arti. secundum modum humanum, non solum ex parte subiecti re-
 cipientis, sed etiam ex parte causae agentis. Nam talis scientia
 ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod
 est anima humana connaturalis. Scientia autem infusa at-
 tribuitur anima humana secundum lumen de super infusum:
 qui modus cognoscendi, est proportionatus naturae angelicae.
 Scientia vero beata, per quam ipsa Dei essentia videtur, est
 propria & connaturalis soli Deo, ut in prima parte dictum
 est *.

Ad primam ergo dicendum, quod, cum duplex sit modus
 acquirendi scientiam, scilicet, inveniendū & addiscendū, mo-
 dus, qui est per inveniendū, est precipuus: modus autem, qui
 est per discipulam, est secundarius. Unde dicitur in primo
 Erhricorum *. Ille quidem est optimus, qui omnia per se ipsum
 intelligit: bonus autem rursus est ille, qui bene dicenti obedit.
 Et ideo Christo magis competeat habere scientiam acquisi-
 tam per inveniendū, quam per disciplinam, praesertim cum
 ipse daretur a Deo omnibus in doctorem: secundum illud Ioa-
 nis 2. Et amini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis docto-
 rem iustitiae.

Ad secundum dicendum, quod humana mens duplicem
 habet respectum. Vnum quidem ad superiora: & secundum
 hunc respectum, anima Christi fuit plena per scientiam indi-
 tam. Alius autem respectus eius est ad inferiora, id est, ad
 phantasmata, quae sunt nata mouere mentem humanam per
 virtutem intellectus agentis. Oportuit autem, quod etiam se-
 cundum hunc respectum, anima Christi, scientia impleatur:
 non quia prima plenitudo menti humanae sufficeret secundum
 se ipsam: sed oportebat eam perfici, etiam secundum compara-
 tionem ad phantasmata.

Ad tertium dicendum, quod alia ratio est de habitu ac-
 quisito, & de habitu infuso. Nam habitus scientiae acquiri-
 tur per comparationem humanae mentis ad phantasmata:
 unde secundum eandem rationem non potest alius habitus
 iterato acquiri. Sed habitus scientiae infusa est alterius ratio-
 nis, ut potest a superiori descendens in animam, non secundum
 proportionem phantasmatum: & ideo non est eadem ratio de
 utroque habitu.

COMMENTARIUS.

Duplex potest esse sensus quaestionis huius. Pri-
 or, an in Christo fuerit scientia natura sua acqui-
 sita, siue ab ipso acquisita fuerit, siue aliunde habita, E
 ut fuit in Adam. Posterior est, an in illo fuerit talis
 scientia, & tali modo, scilicet, per proprios actus
 paulatim comparata, & hic posterior est manifestus
 sensus D. Thomae, ut patet ex corpore articuli. Quid
 autem nomine scientiae intelligat, non satis constat,
 potest enim intelligere, vel proprium habitum sci-
 entiae in rigore sumptum (ut Caiet. illi intelligit, &
 videtur sane mens eius) vel generaliter quemcunque
 habitum in intellectu acquisitum, siue sit species, si-
 ue quidvis aliud, de quo magis videntur procedere
 probationes D. Thomae.

Affertio ergo est, fuisse in anima Christi huius-
 modi scientiam acquisitam, ne intellectus agens in

A Christo fuerit otiosus. Quae ratio, ut constat, sum-
 mum probat, comparasse Christum aliquas species
 intelligibiles per actionem intellectus agentis, ea-
 dem enim potest ad Adamum applicari. Sed de hac
 re infra disputandum est latius.

Argumenta D. Thomae solum procedunt contra
 priorem sensum quaestionis, & ideo difficultatem
 non habent.

DISPUTATIO XXV.

In tres Sectiones distributa.

De triplici scientia anime Christi, quoad quaestio-
 nem, an est.

 Stendimus disputatione praecedenti
 in Christo esse scientiam creatam. Se-
 quitur, ut videamus, quod duplex illa
 sit, tractaturi postea, quid vnaquaeque
 sit, ordinem D. Tho. sequentes. In hac
 vero quaestione non distinguemus actum, & habi-
 tum scientiae, supponentes eandem esse de utroque
 rationem, ut ex fine praeced. disp. constat.

SECTIO I.

Utrum anima Christi a principio creationis suae fu-
 erit beata.

Difficultas huius quaestionis posita est in tempo-
 re, quo Christus Dominus coepit habere hanc
 scientiam. Nam, quod nunc illam habeat, & saltem
 a tempore mortis suae illam habuerit, de fide certū
 est, neque aliquem, qui in Christum credat, inuenio in
 hoc dubitasse, cum per mortem Christi alijs etiam
 iustis aperta sit ianua caeli, ut infra ostendetur, & cū
 Latroni ipse promiserit: Hodie mecum eris in paradiso,
 & cum gloriosa Resurrectio corporis fuerit euidentis
 testimonii gloriae ipsius animae. Quod ergo in qua-
 stionem verti potest, solum est, an in tempore vitae
 mortalitatis hac eadem scientia potius fuerit. Haeretici
 enim, qui Christo ignorantiam tribuunt multarum
 rerum, quas prius non cognouit, & postea paulatim
 didicit, consequenter negant, habuisse semper hanc
 scientiam beatam, in quem errorem multi ex hare-
 ticis huius temporis lapsi sunt, praesertim Lutherus
 D Caluinus, & Zuinglius. Fundamenta eorum (si quae
 esse possunt) statim attingemus.

Dico ergo primū, animam Christi Domini, etiam
 eo tempore, quo fuit coniuncta corpori mortali, ha-
 buisse scientiam beatam. Ita sentiunt Theologi sta-
 tim citandi. Et probatur testimonijs Scripturae sacrae,
 quae licet per se singula non cogant, tamen simul
 sumpta, & adiunctis Patrum testimonijs, magnam
 fidem faciunt. Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Vni-
 genitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Ac si apertius
 diceret, Vnigenitus, qui videt, ipse enarrauit. Et sicut
 per humanitatem, & dum in mortali vira viueret, e-
 narrauit ita per eandem humanitatem, & eodem
 tempore vidit, ita ferē Aug. tract. 3. in Ioan. & colli-
 gitur etiam ex Cyril. li. i. in Ioan. c. 22. & Chrys. hom.
 14. in Ioan. cui consonant verba Christi, Ioa. 3. Quod
 scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur. Vbi aperte
 loquitur de se homine, & de eundem sensum expo-
 nitur, quod statim subdit. Nemo ascendit in caelum, nisi
 qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo. Vbi ver-
 bum, ascendit, nō est praesentis temporis, sed prae-
 teriti, ut constat ex verbo Græco, ἀνέβη, dicitur
 ergo Christus secundum humanitatem ascendisse,
 & esse in caelo, non corporeo ascensu, sed visione
 beata: quia priori modo non dum ascenderat, neque
 ille ascensus potuit conuenire Christo secundum
 diuinitatem, quia in illam non cadit ascensus, ratio-
 ne sui. Neque obstat, quod ait, Nemo ascendit, nisi qui de-
 scendit. Quia non oportet, ut ascensus & descensus se-
 cuti.

Ioan. 1.

August.

Cyril.

Chrys.

Ioan. 31

cundum eandem rationem vel metaphoram intelligantur: descendit ergo per incarnationem, ascendit per visionem. Vnde non fuit prior ascensus, quam descensus, sed è contrario, prius descendit (scilicet, ordine naturæ) ut posset ascendere. Vnde ibidem ait de illo Ioannes. *Qui de celo venit, super omnes est, & quod vidit, & audiuit, hoc testatur.* Quæ verba eandem vim habent, quam præcedentia. Quod autem dicit, *Vidit, & audiuit*, non sunt diuersa sed eadē visio, auditio dicitur, ut significetur, non habere illam ex vi humanitatis; sed ex infusione diuina: est ergo illa auditio longè diuersa ab ea, quam nos habemus per fidem. Vnde veluti hoc ipsum interpretans, ait Christus, Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, non quia Patrem viderit quisquam, nisi qui est à Deo.* Ac si diceret, non ita audiunt alij, sicut Christus, qui vidēdo audit. Simile est illud Ioan. 8. *Ego, quæ vidi apud Patrem, loquor.* Et Ioan. 12. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit, id est in gloria.* Et ea. 14. *Vt vbi ego sum, & vos sitis.* Accommodatur etiam illud Psal. 40. *Beatum faciet illum in terra: nam Psal. ille de Christo exponitur, Io. 13. Et confirmari potest, nam gloria Transfigurationis lignum fuit gloriæ latentis in anima, ut Patres omnes tradunt, exponentes illud mysterium, ut infra suo loco videbimus. Ex dictis etiam testimonijs sumitur bonaratio, nam Christus futurus erat autem diuinæ doctrinæ, & doctor præcipuus mysteriorum Dei, ergo oportuit, ut non tantum audita, sed à se visa narraret. Sed hæc assertio magis cum sequenti confirmabitur.*

Christus à primo sua conceptione instanti visionem habuit beatam.
D. Thom.
Causa.

Ioan. 1.

Athan.

Damas.

Ierem. 31.

1. Cor. 13.

Psalm. 21.

Eusebius.

Psalm. 65.

August.

Dico ergo secundò. Anima Christi vidit Deum à primo instanti creationis suæ. Ita docent Theologi omnes in 3. d. 14. D. Tho. hic & infra q. 15. art. 10. 34. art. 4. Can. lat. lib. 12. de locis c. 14. & sequitur ferè ex præcedenti conclusione, quia non est maior ratio de vno tempore vitæ mortalis, quàm de alio. Nam visio beata nō magis impediri poterat in infantili corpore, quàm passibili, cum suprà verius sit statum sit, & à nullo statu corporis pēdeat. Alioqui verò fons & primaria ratio illius visionis eadē fuit semper in Christo à principio conceptionis, scilicet, vniō hypostatica. Et ita probatur optimè hæc conclusio ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnguenti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Vbi indicatur (ut suprà cum D. Tho. & Theologis) gloriam & plenitudinem gratiæ & veritatis datam esse Christo homini, quia est vnguenti à Patre: ita esse veluti proprietatem manantem ab vniōne: ergo sicut à primo instanti conceptionis ille homo fuit vnguentus Patris, ita ex tunc habuit gloriam, & gratiam consummatam in gloria & visione Dei. Ita colligitur ex Athanasio oratio. 4. contra Arian. & in libro de salutari Christi aduentu, & de humanitate Verbi, clarius & breuius ex Damasc. lib. 3. de fide ca. 22. *Vbi propterea inquit, eos, qui dicunt Christum verum incrementum in sapientia accepisse, consequenter negare vniōnem factam esse à primo illo carnis ortu: nam si tunc, inquit, facta est, quid tandem asserri potest, quin omnibus prorsus sapientia, gratiaque opibus afflueret?* &c. Confirmari potest ex illo Ierem. 31. *Femina circumdabit virum, scilicet, sapientia, ut supra cum Hieronymo exposuimus: in Scripturis autem non dicitur hoc modo vir, nisi qui videt Deum, reliqui enim, ut paruuli, existimantur, iuxta illud 1. Corinth. 13. *Postquam autem factus sum vir, euacuauit, quæ erant paruuli.* Confirmatur secundò ex illo Psal. 21. *In te prociellus sum ex vtero.* Quæ verba de Christo intelligit Eusebius lib. 10. de demonstrat. Euangel. capit. vltimo. Et introducit Christum dicentem ad Patrem, *Ex tunc te Deum meum iam videbam.* Denique accommodatur illud Psal. 65. *Beatus, quem elegisti & assumpsisti.* Quod de humanitate Christi intelligit Augustinus, indicans, in ipsa assumptione plenam fuisse gloriam & beatitudinem. Idem sentit lib. 83. quæstio. q. 65. & lib. 4. de consensu Evangelist. capite vltimo in fine, Vbi, cum*

dixisset, nullum mortalem hominem posse in hac vita videre Deum, subdit, *Quam maxime proprietate distat à cæteris hominibus, cuius susceptione Verbum caro factum est.* Denique Richardus de sancto Victore libro secundo de Emmanuel. c. 22. *Quod nos, inquit, expectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione.* Ad hoc etiam confirmandum asserri possunt omnia, quæ suprà adduximus super articulum duodecimum quæstionis septimæ Diui Thomæ, ex Patribus exponentibus locum Lucæ 2. *Proficiebat sapientia.* Et doc. Luc. centibus non ita in se profecisse, ut aliquid denuò didicerit, de quo testimonio dicemus plura infra, q. 12. Asserri etiam possunt, quæ disputat. 18. & 22. de plenitudine gratiæ Christi attulimus, quam à principio conceptionis obtinuisse probauimus. Denique asserri possunt, quæ statim q. 10. a. 2. D. Tho. dicemus de illo testimonio Matth. 13. *De illa die nemo scit, neque filius.*

Vltimò addere possumus rationes. Prima, quæ ex dictis testimonijs Scripturæ sumitur, est, quia Christus semper fuit Filius Dei naturalis, ergo hæres; ergo possessor, neque enim in tempore indigebat ad fruendum hæreditate: neque interuentura erat mors patris, ut filius in possessionē mitteretur; neque propter gratiam impediri poterat, ut suprà ostensum est. Secunda, quia non est credibile, diuinam personam non statim ditasse naturam suam omnibus donis gratiæ & gloriæ, & omnem contrariā imperfectionem ab anima sua abiicisse: carere autem felicitate, magna est imperfectio, quæ nec nobis erat necessaria, nec diuinam personam decebat.

Dices. Imò fuit nobis & ipsi necessaria propter maiorem perfectionem, scilicet, ut sibi, & nobis mereri posset, & pro nobis dolere & tristari. Respondetur, quod ad ipsum attinet, melius ipsi fuisse, semper fuisse beatum, quàm beatitudinem mereri, præsertim cum beatitudinem quodammodo sibi conaturalē haberet, ratione vniōis. Adde, si oportuisset sibi mereri beatitudinem, potuisset hoc facere, etiam si nullo tempore ea caruisset, ut inferius, q. 19. ostendimus: vnde, quod ad nos pertinet, potuit simul esse viator, & comprehensor, & ita pro nobis mereri, & pro nobis satisfacere, & veram tristitiam, & dolorem pro nobis suscipere, absque carentia beatitudinis. Tertia ratio sumitur ex D. Tho. hic quia Christus est caput in fluens in omnes gratiam & gloriam; ergo debuit ipse multò magis esse ornatus gratia, & gloria. Cui adde, quod à principio conceptionis fuit caput etiam Angelorum, quod statim ipsi iussi sunt adorare, ut dicitur ad Hebræ. 1. ergo non est credibile, fuisse caput in inferiori statu gratiæ aut gloriæ, quam Angeli erant. Vnde confirmatur, nam Angeli sancti parum post creationem suam acceperunt gloriam, in certis, vel (ut alij volunt) in secundo instanti; ergo anima Christi illos superauit, & à primo instanti Deum vidit. Tandem coniectura, quæ ex D. Thoma hic colligitur, optima est, quia Christus de iustitia meruit alij gratiam, & gloriam. Ergo decuit, ut à principio ipse haberet gratiam & gloriam, quia licet visio Dei propriè & per se non requiratur ad meritum: tamen in eo, qui est perfectissimus principium omnis meriti, qui quæ ad suam sanctificationem non indigebat meritò, conuenientissimum fuit, ut gratia consummata esset illi principium meriti. Vnde confirmatur, quia Adam, eo quod futurus erat naturale principium generis humani, creatus fuit à principio perfectus in naturalibus; ergo Christus, qui est supremus autor gratiæ & gloriæ, debuit à principio suæ conceptionis habere gratiam & gloriam summè perfectam.

Sed quæres, qua certitudine hæc doctrina tenenda sit. Aliqui existimant, simpliciter esse de fide. Sed non videtur, quia Scripturæ testimonia nō sunt adeo expressa, quin alijs modis explicari possint, & nulla etiam extat de hac re Ecclesiæ definitio, neque etiam tradi-

traditio est satis aperta, nam licet Theologi in hac veritate asserenda consentiant, non tamen illam affirmant, ut dogma fidei, & ferè eodem modo loquuntur sancti Patres: & ideo alij soli dicunt esse opinionem ita veram, ut contrarium opinari temerarium sit. Et hæc censura est mitissima omnium, quæ dari potest: existimo enim contrariam sententiam etiam erroneam, & proximam hæresi esse, quia Scripturæ testimonia adiunctis expositionibus, & testimonijs Patrum, & consensu Doctorum omnium Catholicorum, sufficiunt ad hanc certitudinem præstādā.

Respons.

Obiectio.

Lucia.

In 7. Encl. Responsio.

Obiectio.

August. Responsio.

Sed contra hanc veritatem obijci solent varia loca Scripturarum, quæ partim tractata sunt, cum de gratia ageremus, partim attinguntur in sequentibus. Nunc solum obijciat illud Luc. 22. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ergo ante passionem non intrauit in gloriam. Vnde lo. 7. dicitur. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat i. ius glorificatus. Et ideo lo. 17. orat ipse Christus. Clarifica me Pater, &c. Respondetur, hæc testimonia intelligi de gloria Resurrectionis, & Ascensionis, & de manifestatione & exaltatione nominis Christi, ut Patres omnes intelligunt.

Dices, Gloria corporis & animæ coniunctane-cessario sunt, si corpus & anima inter se sunt coniuncta; manet enim gloria corporis ex gloria animæ, ut Theologi docent cum Aug. Epist. 56. Respondetur, fuisse quidem debitam gloriam corpori Christi à principio conceptionis, non tantum ratione gloriæ animæ, sed etiam ratione unionis: tamen propter nostram redemptionem, diuina dispensatione, illa ad tempus caruisse, cuius rei significationem quandam in Transfiguratione tradidit, ut dictum est.

SECTIO II.

Vtrum in anima Christi sit scientia connaturalis animæ humane.

In hac questione, sicut in præced. dixi, nulla est difficultas de hac scientia secundum se, seu absolute considerata, sed solum in tempore & modo, quo Christi anima cepit habere hanc scientiam. De qua re nihil hoc loco dicam, quia pendet ex multis, quæ circa q. 12. D. Tho. tractanda sunt, ubi hoc melius expeditur: & ideo hic brevissimè dicendum est, certum omnino esse, Christum Dominum habere scientiam connaturalem animæ humane. Ita docet omnes Theologi, in 3. d. 13. & 14. Quamvis Bona. loquat in contrariū citari, quia negat fuisse in Christo scientiam acquisitam. Sed non est credibile, eum esse locutum de substantia ipsius scientiæ (ut ita dicam) sed de modo acquirendi illam, ut ex sequenti sectio. & magis ex disp. 23. constabit. Ricard. verò ibi, a. 3. q. 2. & 3. videtur hanc sententiam docere; quia sentit, scientiam infusam animæ Christi fuisse superioris rationis à scientia connaturali homini, & tamen præter illam negat in Christo fuisse aliam acquisitam; sed est sententia omnino falsa. Vnde sine magno errore negari hæc veritas non potest, quia (ut supra latè citatum est) in Christo est natura humana cum omni proprietate, & perfectione illi connaturali, sed scientia humana est vna ex maximis perfectionibus humane nature, ergo. Deinde de supra ostendimus, fuisse in intellectu Christi actus intellectus naturales; ergo maximè actus scientiæ, ergo. Tercio, quia habuit virtutes morales connaturales homini, ergo & prudentiam naturalem, ergo pari ratione alias scientias. Deniq. Angeli habent scientiam sibi connaturalem, eandem habent beati, habuit etiam Adam in statu innocentie, & in vniuersum perfectio gratiæ non destruit perfectionem nature, quæ imperfectionem non includit, perfectioni gratiæ repugnat: ergo, neq. contra hoc occurrit noua obiectio, præter eas, quæ fieri solent de beatis, quas tetigit D. Tho. supra, art. 1. huius questionis.

Sed obseruandum est primo, nomine scientiæ hic

A intelligi omnes virtutes intellectuales, scilicet, intellectum seu habitum principiorum, de quo nulla potest esse dubitandi ratio, cum assensus principiorum sint maximè evidentes, & connaturales homini: sapientiam deinde, ac scientiam. De quibus solū potest dubitari, quia in hominibus non sunt sine admixtione opinionum, & incertitudinis. Dicendum vero est, in Christo fuisse quoad conclusiones evidentes, quæ per lumen nature certæ esse possunt. De his vero rebus, de quibus lumen nature consequi non potest evidentem cognitionem, affectus est Christus, quidquid ratio naturalis consequi potest, & omnes rationes probabiles, aut verisimilia iudicia opinionum omnium: non tamen per hæc de veritate ipsa iudicabat, sed vel suspendebat assensum, vel de probabilitate, quæ euident esse poterat, iudicium ferebat. Præterea comprehendere etiam potest prudentia, de qua iam dictum est. Et vltimò etiam artem complectimur, quæ, ut est intellectualis virtus, etiam pertinet ad absolutam perfectionem intellectus, & fortasse à scientia non multum distinguitur, nisi in materia factibili. ait autem D. Tho. in 1. q. 13. a. 1. ad 3. fuisse in Christo scientiam omnium factibilium. Nec refert, quod ars videtur esse coniuncta cum vfu, nam licet ipsa dirigat vsum, non tamen ab illo essentialiter pendet; tota enim perfectio artis, quæ ad intellectum spectat, sine vfu haberi potest.

Obseruandum secundò est, scientiam hanc connaturalem generaliter dictam, prout comprehendit omnem naturalem cognitionem euidentem, duplicem distingui posse: est enim quædam cognitio, quæ vocatur experimentalis, & potissimum versatur circa singularia, quæ per sensum experimur, ex quo intellectus accipit euidentem cognitionem in ipsa experientia fundatam. Alia est cognitio euidentis conclusionum ex proprijs principijs naturali lumine euidentibus, quæ proprie vocatur, seu metetur nomen scientiæ, hic vero vtrumq. genus cognitionis sub hac voce comprehendimus: nam cum vtraque harum cognitionum naturalis sit homini, & perfectionem asserat sine imperfectione, vnioui aut beatitudinè repugnante; dubium non est, quin vtraque fuerit in Christo, ut latius q. 12. tractabitur.

SECTIO III.

Vtrum fuerit semper in anima Christi scientia verū in proprio genere supernaturalis, & per se infusa.

Tractavi prius de scientia naturali quam de hac infusa, ut ratio dubitandi, & opinionum varietas, quæ hic esse potest, melius intelligatur. Ratio enim difficultatis est, quia per scientiam beatā & naturalem, habet anima Christi omnem cognitionem & perfectionem, quæ vel ex Scripturis, vel ex dignitate personæ, vel ex munere Redemptoris, vel ex capacitate intellectus humani, vel denique ex quouis alio iudicio, vel signo colligi potest. Habet enim per illas duas cognitiones, perfectionem naturæ debitam & gratiæ, & consequenter habet actum respondentem capacitati naturali intellectus, & obedientiali, habet cognitionem rerum omnium naturalium, & supernaturalium, contingentium, & liberarum: quorum ergo necessaria est alia scientia?

Propter hoc quidam Theologi videntur aperte negare, habuisse animā Christi hanc scientiam. Ita sentit Bonau. in 3. d. 1. a. 3. q. 1. & 2. quamquam enim concedat, habuisse Christum scientiam infusam, aperte tamē sentit illam fuisse naturalem, & infusam per accidens: propterea enim negat ibidem, Christū aliam scientiam sibi acquisiuisse, & illam scientiam dicit esse similem illi, quā Adam habuit in statu innocentie, & idem sentit Alens. 3. p. q. 13. memb. 1. & 2. quia non aliter ponit scientiam infusam in Christo, quā in Adamo, & ferè eodem modo loquuntur alij Nominales, ut Almain. Gab. & alij in 3. dist. 14.

Quidam
mises
scien
tia con
naturalis
hic
intelligi
tur.

In Christo
ars factibi
lium fuit.

In Christo
scientia ex
perimentalis

In anima
Christi sci
entia ac
quisita, seu
connaturalis

Bonauent.
Richard.
Ansel.

Almain.
Gabr.
Scot.

Seot. verò ibi. q. 3. & Durand. q. 3. & 4. mediam
quandam videtur habere opinandi rationem; nam
circa res naturales, quæ per naturalem scientiam hu-
manam cognosci possunt, non putant habuisse Chri-
stum aliam scientiam per se infusam: circa alias verò
res, quæ naturalem capacitatem humani intellectus
superant, illam videntur admittere; fortasse, ut non
tantum in Verbo, sed etiam in proprio genere co-
gnoscantur. Sed hoc iam pertinet ad quaest. de obie-
cto huius scientiæ infusæ, quæ inf. q. 11. tractanda est.

Anima Christi habuit scientiam infusam.
Dico primò, Christi animæ datam esse scientiam
per se infusam, distinctam à beata & à naturali. Hæc
est sententia D. Thom. hic, & tota quaest. 11. quàm ita
intelligunt, & sequuntur Thomistæ omnes, Caiet.
Capreol. in 3. distinct. 14. quaest. 1. art. 1. conclus. 2. &
artic. 3. ad argumenta contra illam. Paludan. ibi. qu.
2. Richard. artic. 3. quaest. 2. & 3. i. attente legatur. Idè
Marfil. quaest. 10. artic. 2. & alij. Ex Scriptura, & Pa-
tribus non potest hæc conclusio efficaciter probari,
ut ostendit ratio dubitandi in principio posita. Nā
licet ex Scriptura constet, Christum fuisse scientif-
simum sapientia plusquam humana, & infusa, quia
cognoscebat cogitationes hominum, & reuelabat
diuina, & supernaturalia mysteria, & futura cōtin-
gentia, & Luc. 2. adhuc infans; sedebat in medio Docto-
rum, & stupebant omnes super prudentia, & responsis eius.
Vnde Ioan. 7. quidam interrogabant: Vnde hic li-
teras scit, cum non didicerit? Quamuis hoc (inquam) ita
sit, quia tamen omnes hi effectus, vel demonstra-
tiones sapientiæ proficisci potuerunt ex sola scientiā
beata, idè non potest ex illis efficaciter concludi a-
liā scientiā per se infusā. Arguitur ergo ratione pro-
babili, & pro materiæ qualitate sufficienti. Primò,
quia Christus nō solum erat comprehensor, sed et-
iam viator, ergo etiam, ut viator, debuit habere co-
gnitionem aliquā supernaturalem, quia visio est
propria scientiā comprehensoris. Secundò, quia hæc
scientiā possibilis est, & expedit, pluribus modis co-
gnosceat creaturas, atque adeo non tantum in Ver-
bo, sed etiam in ipsis per proprias earū species. Pro-
pter quam causam August. 4. Genes. ad lit. c. 23. & 24.
duplicem scientiā in Angelis distinguit: *Maturi-*
nam, & vespertinam; & huc etiam tendit ratio D. Th.
in art. 3. pertinere ad perfectionem proportionatam
intellectui creato, tam secundum se, quam eleuato
per gratiā, ut cognoscat res per proprias species, ut
ibi exposuimus. Et hæc conclusio magis cum seq.
confirmabitur.

Scientia infusa Christi ab instanti cōceptionis.
Dico ergo secundò, Christi animā habuit hanc
scientiā à primo instanti suæ creationis. Ita sentit
D. Thom. & omnes, qui illam ponunt. Et probari
potest ex præcedenti, additò testimonio Pauli ad
Hebr. 10. ubi de Christo dicit: *Ingressus mundum di-*
stis, & ex Psal. 39. & infra subdit. In qua volun-
tate sanctificatus sumus, satis significans in ipso ingressu
atque adeo in primo momento conceptionis suæ, co-
gnouisse Christi animā voluntatem Patris, & my-
steria nostræ redemptionis, & voluntariè obtulisse
vitam pro hominibus, & per illam voluntatem, no-
stram sanctificationem meruisse. Hinc ergo satis
probabiliter colligitur, illam cognitionem ad hanc
scientiā per se infusam pertinuisse, fuit enim sine
dubio supernaturalis cognitio, cum esset de super-
naturalibus mysterijs, & cum illa fuerit fundamen-
tum meriti, credibile est non fuisse tantum visio-
nem comprehensoris; sed cognitionem aliā sci-
entiæ infusæ. Facit etiam illud Isai. 7. *Butrum, & mel*
comedet, ut sciat & probare malum, & eligere bonum, ubi
Hieron. id est, adhuc puer hoc sciet, quæ scientia electi-
ua melius accommodatur scientiæ infusæ. Denique
faciunt illa communia testimonialia Isai. 11. *Egredietur*
virga, & c. & requiescet super illum, & c. & Coloss. 2. *In*
quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Possent
etiam hoc confirmari testimonijs Patrum asseren-

tium, Christi animā à principio fuisse sapientiā
plenam, sed ea omitto, quia non de hac scientia in
specie loquuntur, sed in communi de sapientia, & ita
in superioribus sufficienter facta sunt, & videri pos-
sunt in Bellarm. lib. 4. de Christi anima cap. 3. Ratio
verò est sapientiæ tacta. Primò, quia tota hæc sapi-
entia data est Christo ratione vnionis, quā à princi-
pio habuit, & neque illi fuit necessarium, nec nobis
vile illa carere aliquo tempore. Secundò, quia hæc
scientia aliquo modo pertinet ad perfectum statum
beatificum animæ Christi, non quidem, ut essentia-
lis, sed quasi accidentaliter perfectio; quæ cum non
pendeat à corpore, statim dari debuit. Immo addit
Marfil. suprà, hanc scientiam infusam manare à bea-
ta, ut à causā efficiente; quod videtur gratis, & sine
fundamento dictum: quia actus secundus amoris,
vel cognitionis non efficit aliquid, nisi fortasse in-
terdum habitum, qui similes actus producat. Satis
ergo est, si dicamus, hanc scientiam esse conuenien-
tem dispositionem vel perfectionem intellectus bea-
ti. Tertio argumentari possumus, quia in Christo et-
iam pertinet hæc scientia ad perfectum statum via-
toris; quia, licet sit etiam perfectio comprehensoris,
tamen quatenus respectu Dei est abstractiua cog-
nitio, est magis accommodata ad statum viatoris, Chri-
stus autè à primo instanti suæ conceptionis fuit per-
fectè viator, & comprehensor. Denique Angelis in
primo instanti suæ creationis infusa est scientia illis
connaturalis, sed hæc scientia est etiam cōnaturalis
Christo ratione vnionis, ergo.

Dubium.
Ratio dubitandi in principio posita ex dictis satis
est expedita. Queret verò fortasse aliquis, quo gra-
du certitudinis tenenda sit doctrina posita. Nōnul-
li enim Theologi temerarium esse dicunt negare
hanc scientiam. Sed vereor, ne hoc temerè dictum
sit, quia ubi nulla est auctoritas Scripturæ, vel Pa-
trū, quæ multū vigeat, & graues Theologi inter se
disident; solumque coniecturis vtuntur, non vi-
deo, cur temeritatis nota inurenda sit. Negare igi-
tur omnem scientiam infusam in anima Christi, est
se plusquam temerarium & erroneum, & quia sci-
entia beata etiam est infusa: negare verò scientiam
supernaturalem, & per se infusam distinctam à bea-
ta, est quidem falsum, & minus probabile; nullam
verò meretur grauiorem censuram, præsertim in
eorum opinione, qui asserunt habuisse Christum ab
instanti conceptionis scientiam per accedens infu-
sam. Nam si quis negando hanc scientiam per acci-
dens infusam, negaret etiam aliā, multò minus pro-
babiliter loqueretur, & nō sine temeritate, quia nul-
lus Theologorum ausus est ita opinari: multum e-
nim derogat illi modus dicendi perfectioni debite
animæ Christi, & eam in hoc facit inferiorem Ange-
lis, quod nec veritati, nec pietati consentaneum est;
nec Paulo dicenti, minoratum quidem esse ab An-
gelis propter passibile corpus, non propter defectū
perfectionis, quæ ad animam pertineat.

Dubium.
Vltimò dubitari hic poterat, an præter has tres
scientias habeat aliam Christi animā. Alexand. enim
3. p. quaest. 13. memb. 1. & 2. videtur addere quandam
aliā scientiam, quam vocat vnionis, & indicat esse
distinctam à beata. Idem Alefiod. lib. 3. summi.
tract. 1. c. 5. Sed, ut rectè dixit D. Thom. in hac quaest.
art. 1. ad 3. quamuis ipsa scientia beata vel infusa, pos-
sit denominari scientia vnionis, quamuis per ipsam
scitur, & cognoscitur ipsa vnio, vel quatenus ratio-
ne vnionis data est, tamen fingere distinctam scientiā
à prædictis, omnino superfluum, & præter ratio-
nem est: quia scientia conuenit Christo ratione na-
turæ, id est, in aliqua natura; vnde necesse est, vel
creatam esse, vel incretam; si sit increta, non per-
tinet ad scientiam humanitatis, de qua agimus: si au-
tem creata sit, vel est clara visio Dei in se ipso, & hæc
est scientia beata; vel est scientia creaturæ per pro-
prias species, & Dei tantū abstractiua, & hæc esse po-
telt, vel

test, vel naturalis, vel supernaturaliter infusa, non est ergo in anima Christi alia scientia præter dictas. Et confirmatur, quia illa unio nullius scientiæ principium est: non est enim operatiua, sed ad substantiandum.

Q V A E S T I O X.

De scientia beata animæ Christi, in quatuor articulos diuisa.

Quest. 14. **E**inde considerandum est de qualibet prædictarum scientiarum. Sed quia de scientia diuina dictum est* in Prima parte, restat nunc dicendum de alijs tribus: primo, de scientia beata: secundo, de scientia indita: tertio, de scientia acquisita.

Quest. 12. Sed quia etiam de scientia beata, que in Dei visione consistit, plura dicta sunt in Prima parte*: hic illa sola videtur dicenda, que proprie pertinent ad animam Christi.

Circa hoc ergo queruntur quatuor.

Primo, utrum anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.

Secundo, utrum in Verbo cognouerit omnia.

Tertio, utrum anima Christi in Verbo cognouerit infinita.

Quarto, utrum videat Verbum, siue diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

Connexio huius questionis cum præcedenti satis ex supra dictis constat.

ARTICVLVS II.

Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi comprehenderit, & comprehendat Verbum, siue diuinam essentiam. Dicit enim Isidorus*, quod Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto. Igitur homo assumptus communicat cum sancta Trinitate in illa notitia sui, quæ est sanctæ Trinitatis propria. Huiusmodi autem est notitia: comprehensionis. Ergo anima Christi comprehendit diuinam essentiam.

2. Præterea, Magis est vniri Deo secundum esse personale, quam secundum visionem. Sed, sicut Damascenus* dicit in 3. lib. Totæ diuinitas in vna personarum est vnita humane nature in Christo. Multo ergo magis tota natura diuina videtur ab anima Christi: & ita videtur, quod anima Christi comprehenderit diuinam essentiam.

3. Præterea, Illud, quod conuenit Filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam: vt Aug.* dicit in primo de Trinit. Sed comprehendere diuinam essentiam, competit Filio Dei per naturam. Ergo filio hominis competit per gratiam. Et ita videtur, quod anima Christi per gratiam Verbum comprehendit.

Sed contra est, quod Angu. dicit in lib. 83. q. 1. Quod se comprehendit, finitum est sibi. Sed essentia diuina non est finita in comparatione ad animam Christi, cum in infinitum eam excedat. Ergo anima Christi non comprehendit Verbum.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex supra dictis patet, sic facta est vnio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietates vtriusq; nature inconfusa permanserit, ita, scilicet, quod increatum manserit increatum, & creatum manserit intra limites creature: sicut Dam.* dicit in 3. li. Est autem impossibile, quod aliqua creatura comprehendat diuinam essentiam (sicut in Prima parte ostensum est*) eo quod infinitum non comprehenditur a finito. Et ideo dicendum quod anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod homo assumptus connumeratur diuine Trinitati, in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissime cognitionis præ ceteris creaturis.

Ad secundum dicendum, quod nec etiam in vnione, quæ est secundum esse personale, natura humana comprehendit Dei Verbum, siue naturam diuinam. Quæ quamuis tota vnita fuerit humane nature in vna persona Filij, non tamen fuit tota virtus diuinitatis ab humane nature quasi circumscripta. Vnde Aug.* dicit in Epistola ad Volusianum, Scire te volo, non hoc Christianam habere doctrinam, quod ita Deus infusus sit carni, vt curam gubernanda vniuersitatis, vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contrariam, collectamque transulerit. Et similiter anima Christi totam Dei essentiam videt, non tamen eam comprehendit, quia non totaliter eam videt, id est, non ita perfecte, sicut visibilis est: vt in prima parte* expostum est.

Ad tertium dicendum, quod verbum illud Augustini est intelligendum de gratia vnionis, secundum quam omnia, quæ dicuntur de Filio Dei secundum diuinam naturam, etiam dicuntur de filio hominis, propter identitatem suppositi. Et secundum hoc verè potest dici, quod filius hominis est comprehensor diuine essentiae, non quidem secundum animam, sed secundum diuinam naturam. Per quem etiam modum potest dici, quod filius hominis est creator.

COMMENTARIVS.

Comprehensio interdum significat vltimi finis consecutionem, quæ est spei, seu vite terminus: iuxta illud Paul. 1. ad Corinth. 9. Sic currite, vt comprehendatur. Alio modo accipitur comprehensio pro adæquata, & exacta rei cognitione, quæ, videlicet, cognoscitur, quantum cognoscibilis est; & hoc posteriori sensu mouetur questio, nam in priori constat, non solum animam Christi, verum etiam omnes beatos Deum comprehendere.

Negat ergo D. Thomas, animam Christi comprehendere Deum, & probat, quia infinitum non potest adæquari finito, ergo neque ab illo comprehenditur; anima autem Christi finita est, diuina verò essentia infinita, ergo. In qua ratione solum est aduertendum, dupliciter posse intelligi. Primo, vt sit sermo de re finita tantum in essentia. Secundo, de re finita, etiam in intensione: si hoc posteriori modo intelligatur, nulla est difficultas, quia per se notum videtur, virtutem omni ex parte finitam, scilicet, in essentia & intensione, non posse comprehendere obiectum simpliciter infinitum: tamen in hoc sensu antecedens non est euident: quia licet anima Christi finita sit in essentia, non tamen constat, omnem virtutem eius esse finitam intensiue: si autem priori modo intelligatur, antecedens quidem euident est, tamen ratio non est euident: quia licet anima sit finita, si tamē haberet lumen gloriæ infinite intensum, posset comprehendere diuinam essentiam, vt ex eodem D. Thoma colligitur 1. p. qu. 12. art. 7. Quocirca D. Tho. in hac ratione videtur supponere ex præ-

qu. 7. animam Christi hoc ipso, quod finita est, non esse capacem alicuius perfectionis, vel virtutis infinite in essentia, aut intensione. Sed de hac re plura in sequenti disputatione.

Argumentum primum D. Thomæ fundatur in Isidori testimonio Isidori, quod D. Thomas his verbis citat. Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto, quod non videtur posse intelligi, nisi de notitia, comprehensione: nam alio modo etiā clarè, & quidditatiuè, alijs etiam nota est. Responder D. Tho. illud esse intelligendum, non ratione comprehensionis, sed ratione excellentissime cognitionis, quam habet Christus præ ceteris creaturis. Sed hæc pia expositio non omnino quadrare videtur literæ, & contextui Isidori:

Nn

dori:

Est ep. 3. nō multum remouet à prin. 10. 2.

1. p. q. 12. a. 7

1. Cor. 9.

Infinitum duplex,